THEOLOGISCHE SAMMELHANDSCHRIFT
Entstehungsort unbestimmt, 14. Jh.
Seite 78v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35467
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

exoraret ut aliquid de suo corpore habere mereretur. Subito erupit de manu ipsius unus articulus digitorum. Qui donum dei letus accepit et ad suum monasterium deportauit. In huius morte katherina affuit et quibusdam deuotis fratribus uidentibus eius animam cum angelorum obsequiis ad celi palatia introduxit.

Quod uelata facie ante quendam transiuit. xiiii.

Fertur quoque quod dominus quidam beate katherine deuotus existeret et eam crebro in suum adiutorium inuocaret. Per processum temporis mentis incuria resolutus et deuotionem mentis perdidit et ab eius inuocatione cessauit. Qui in oratione positus uidit multitudinem uirginum ante se transeuntem inter quas erat una que ceteris splendidior uidebatur. que cum sibi appropinquasset. faciem suam operuit et sic ante ipsum facie uelata transiuit. Cuius splendorem cum ille nimium miraretur et que esset interrogauit. Vna ex eis respondit. Hec est katherina quam olim cognoscere solebas nunc autem quia eam cognoscere non uideris coram te sic uelata facie tanquam a te incognita pertransiuit.

De serto roseo et suscitatione mortui. xv.

Adolescens quidam bone indolis. filius cuiusdam clarissimi comitis. patre quidem orbatus sed diuitiis et honoribus pluribus habundans. Quandam ecclesiam ad honorem beate katherine consecratam non procul sitam a suo castro in quo libencius residebat. ante diem sepissime surgens orationis causa sine comite frequentabat. Quadam igitur uice cum more solito in predicta maneret ecclesia. ante altare subito obdormiuit. Et ecce uidit in sompnis ante se stare tres puellas. duas quidem mirabiliter et excellenter pulchras. Tertia uero que quasi regina esse uidebatur. quia erat dyademate regio insignita. et in medio earum gradiebatur. tanto erat duabus prestancior. quanto lucifer ceteris syderibus preclarior. Cumque adolescens pre stupore et admiratione eas inspiceret